



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Afflictio Consolans, Seu Svccincta Non Minvs Ac Clara Methodvs

Wintrich, Victor

Coloniæ, 1644

Discvrsvs VII. Quia Rex non Exactor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45734)

DISCURSVS VII.

*Benedictus qui venit in nomine
Domini. Matth. 21.*

Quia Rex non Exactor.

Proscrip̄tâ in superiori Discursu,
à Regibus & Dynastis, Legum ex-
emptione; nunc, vt cum Christo
Exactores non sint, si benedici, si pacis
conditiones obtinere velint, docebo.

Humani quod splen est corporis, in
populi re,

Hoc Cæsar fiscû dixerat esse summa.

Splene aucto reliqui tabescunt cor-
poris artus,

Fisco aucto arguitur Ciuica pau-
peries.

Ordine consueto.

Primò, Reges in tributis non excedere.

Secundò, damna excedentium confi-
derare debent.

Tertiò, Christum non excessisse.

RE-

REGES NON SINT EXACTORES,
NEC ONERENT SUB-
DITOS.

Bias noster sic inter alia sanxit:
*Quod si domi fortè Gubernatoris sumptus
tributa superet, mox à Reipublica guber-
naculis amouetor; Princeps enim pauca
possidens & plura expendens, aut Regnum
perdat, aut in tyrannum euadat, necesse
est.*

Indigni Imperio, qui metunt vbi non
seminarunt, qui oues pascunt dum lacte
& lana gaudent, ast dum lupo venit,
deserunt, nec defendunt, proindeque
maledici, non benedici debent. Nun-
quid enim Caracalla maledictus erat,
dum Iuliæ matri profusionem pecunia-
rum, quas per fas & nefas, taliter quali-
ter à subditis extorserat, taxanti, gla-
dium ostendens aiebat: *Quamdiu hunc
habebimus, nulla vnquam deerit pecu-
nia?*

An Neronem benedicendum censes,
dum tyrannicam hanc potiùs boat aut
mugit vocem, quàm sonet: *Agamus no-
strum, esto nemo quidquam habeat.
Et hoc quidem dicebat illis, quos ad*
I 2 pro-

procuraturas, administrationes, dimidia imperia cuehebat.

Vespasianus nec minùs maledictus fuit, quia ex Rege aut Imperatore Exactor euasit, & talis quidem, vt & è lotio vectigal institueret; & rapacissimos quosque ad imperia & officia adhiberet: de primo Suetonius: Instituerat, inquit, Vespasianus vectigal è lotio: super hoc à filio monitus dissimulauit, donec prima pensio esset soluta, eam pecuniam admouit ad filij nares, sciscitans, num odore offenderetur? negante illo: Atque hæc, inquit, è lotio est. De secundo idem sic habet: Cùm rapacissimum quemque promoueret Vespasianus, vt innox dictatum condemnaret, vulgò dictus est officarios suos habere pro spongijs, qui veluti spongas & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. Quæ hæc benedictio, vbi tot concurrunt iniustitiae? Nouit & agnouit hoc ad Christianorum Principum æternam fortè confusionem Tyberius, vel ob hoc Augusti nomine dignus. Hic enim Aemilium Rectum, (curuum potius dixeris) quem Aegypto præfecerat, nimium à populo exegisse

cum

cum deprehendisset, super ea re iratus ei, se ronderi velle oves suas, non deglubi, scripsit.

Optimè Isidorus: Magnum, inquit, *Lib. 2. de sum. bon.* scelus est, rem pauperum præstare diuitibus, a renti terræ aquam tollere, & flumina quæ non indigent, irrigare, sed Euangelici sunt, habenti dantes, & ab eo qui non habet auferentes, &c.

DAMNA EXACTORVM.

Quàm malè autem tales apud populum & Deum audiant, sicut primum Diogenes, sic secundum Ezechiel Prophetam testatum reliquit. Interrogatus ille aliquando à tyranno, ex quo ære fieri statuas oporteret? Ex eo, inquit, ex quo fusi sunt Harmodius & Aristogiton, innuens illum esse tollendum, quòd illi tyrannicidæ fuerint, ideoque ab Atheniensibus stauis decorati sunt. Hic autem ex parte Dei eosdem insigniter & liberè taxat: Hac, inquit, dicit Dominus: *Ezec. 34.* *bus Israël, qui pascebant semetipsos, nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum*

meum non pascebatis, quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod agrotum, non sanastis, quod contractum est, non alligastis, & quod abiectum, non reduxistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et sequitur: Propterea, Pastores, audite verbum Domini: Viso ego, dicit Dominus, pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues mee in deuotionem: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant greges, nec pascant amplius pastores semetipsos.

Nec ab similibus sententiæ magnus ille Thales Philosophus erat, cum vitam illis non diuturnam fore arbitratus est: Rogatus enim, quid difficile vnquam vidisset? respondit, tyrannum senem.

Terribile certè est Apophthegma Ludouici XII. Regis Galliæ, quo plebem & rusticos dicebat pascua esse tyrannorum, & militum, hos autem pascua esse diabolorum. Optimè.

Nec solum in propria persona hi patiuntur, sed & frequenter totius Imperij sustinent ruinas, defectiones, & scissuras:

Pa-

Datet hoc in Roboam Salomonis prudentis imprudenti filio. Cui subditi: Pater tuus, aiunt, durissimum iugum imposuit nobis, tu ergo nunc minue paululum de imperio patris tui durissimo, & seruiemus tibi. Suadent idem seniores: Si hodie, dicendo, petitioni eorum cesseris, locutusque ad eos fueris verba lenia, erunt tibi serui. Sed non acquiescit, dure respondet populo, duriora minatur, & deficiunt ab eo decem Tribus, videns enim populus, quod noluisset eos audire Rex, respondet ei dicens: Quae nobis pars in David, vel quae hereditas in filio Isai? Insuper & Aduram Commissarium Regis, qui erat super tributa, lapidauit, Rexque ægrè furori illorum subductus euasit. Non hic benedictus.

Dionysius senior idem expertus. Post trinam namque Syracusanis indictam exactionem, cum eos in foro ridentes, & publicè in Regem scommata iacentes audit: Iam, inquit, nihil habent, quia me contemnunt; ab exactione desistit, ut in vita persisteret, quam tamen non amore bonitatis eius, sed timore peioris post ipsum tyranni eundem prolongare passi sunt.

Notum est Himeræ Syracusanæ di-
 ſum; quæ, cum Dionyſij mortem o-
 mnes appetere, ſola Deos orabat, ut
 diu ſuperſtes eſſet, quod ubi reſcivi ty-
 rannus, rogauit vetulam, quam ob cau-
 ſam Deos rogaret, ut ſibi longam largi-
 rentur vitam; tum illa: Puella cum eſ-
 ſem, ait, grauemque tyrannum habere-
 mus, occidi illum cupiebam; eo mor-
 tuo, aliquanto deterior tyrannidem oc-
 cupauit, ei quoque mortem imprecata
 ſum, & ex ſententia euenit: te verò lon-
 gè deterioſem nunc habemus, verita-
 gitur ne te abſumpto, deterrimus in lo-
 cum tuum ſubſtituatur, te diu incolu-
 mem nobiſcum eſſe, vnicè cupio.

CHRISTVS NON EXACTOR.

Benedictus verè Rex noſter, qui non
 exactionibus ſeſe ditare venerat: Siqui-
 dem, ubi caput ſuum reclinaret, non in-
 uenit.

Prædixerat Deus filiis Iſraël, qui pe-
 tendo Regem, illum offenderant, Re-
 gem, in pœnam hoc ſibi ius arrogatum
 iri: *Filios veſtros tollet, & faciet præ-
 curſores quadrigarum, aratores agro-*
 rum.

runt, messorum segetum, fabros armorum, &c.

Benedictus qui venit in nomine Domini Rex noster, quadrigis non utitur, sed triumphans asinae insidet, & ei ultro vestimenta prosternunt populi, eadem tamen recepturi sunt. Agros illius subditi non colent, sed animas excolent, *Animas da mihi, cetera tolle tibi.* Segetes non metent, sed mercedem in caelis habebunt: *Gaudete, quia merces vestra copiosa est in caelis.* Arma non fabricabunt, sed pacem omnibus praedicabunt: *In quacunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui.* Agros, vineas, oliueta non tollet, sed integrum Regnum largietur, *Appropinquat regnum caelorum.* Non eripit mortalia, qui regna dat coelestia. Seruos non faciet, sed amicos, sed fratres suos nos reputabit: *Iam non dico vos seruos, sed amicos. Dicite fratribus meis.* Si fratres Regis, ergo Patris haeredes & Regni consortes: *Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* O verè benedictus. Iple ne peteret subditorum bona, qui pauperibus promisit Coelorum Regna

Matth. 5.

Luc. 10.

Matth. 4.

Ioan. 15.

Rom. 8.

*Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum
 Matth. 5. est regnum caelorum. Ipse ne quæreret
 terrena, qui pollicetur caelestia? Ipse ne
 exagitarer te pro censu, qui seipsum ti-
 Joan. 6. bi præbuit in cibum? Caro mea verè est
 cibus.*

Benedictus igitur Rex noster, qui non
 à nobis ditari, sed nos ditatum venit.
 Age, age, ô Rex Regum, doce nos terre-
 na despiciere & amare caelestia, vt te-
 cum aliquando læti regnemus, & hic
 pace fruamur.

DISCURSUS VIII.

*Benedictus qui venit in nomine
 Domini. Matth. 21.*

Quia Rex venit verus Dei
 cultor:

Abligata in superiori Discursu,
 Regum, Principum iniusta exa-
 ctione, nunc vt cum Christo Re-
 gum Rege & Domino Dominantium
 cul-